POMPONII BRVNELLI

IN FESTVM DIEM SANCTAE MARIAE AD NIVES ORATIO

Habita Romae in ſacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica a Caeſare Boſco eiuſdem Baſilicae clerico.



SVPERIORVM PERMISSV.

Romæ, Apud Guglielmum Facciottum. CIↃIↃCVII.

32

ILLVSTRISS.^{MO} ET REVERENDISS.^{MO}

EVANGELISTAE PALLOTTO

S. R. E. CARDINALI CVSENTINO

Et ſacroſanctae Principis Apoſtolorum Baſilicae Archipresbytero

Pomponius Brunellus S. P. D.

DATVM mihi negotium de breui oratione conſcribenda, quae, vt moris eſt, anniuerſario die, ab vno aliquo ex clericis Principis Apoſtolorum Baſilicae haberetur, libenter, vt debui, ſuſcepi, & pro mea virili parte confeci. Vt vero ijs, a quibus eam & Caeſar Boſcus, a quo non indecore habita eſt, & ego ipſe flagitaremur, commode ſatisfieret, coepi de ea typis tradenda cogitare. Et quamquam, quos ea de re conſulueram, aſſentiri viderem; verebar tamen, ne, vt, qui obſcuro loco naſcuntur, niſi alieno illu-

ſtrentur ſplendore, iaceant omnino, neceſſe eſt; ita haec oratio facile exploderetur, niſi, tamquam obſcurus globus, aliena luce impertiretur. At cui illa potius dicanda erat, quam tibi, Cardinalis ampliſſime, qui ſecundum Pontificem Maximum, ſacroſanctae illi Baſilicae praeſis, & ad illius ornamenta omnem tuam curam, ſtudium, conatum libentiſſime conferas; & qui orationem hanc poſſis tuis egregijs virtutibus erigere iacentem, atque erectam non extollere ſolum, ſed etiam illuſtrare? Te igitur oro atque obſecro, Princeps optime, vt meum erga te ſtudium, atque obſequium, quod in te obſeruando & colendo perpetuo praeſtabo, ne aſperneris, meque vna cum huiuſmodi munuſculo tibi totum, quantuluſcumque ſim, dicatum addictumque eſſe intelligas. Quod vt ſperem, tua ſumma benignitas facit, cuius fontes cum alijs omnibus patere conſueuerint, eius certe riuulos mihi vni claudi te paſſurum non eſſe confido. Vale. X. Kal. Septembris CIↃIↃCVII.

POMPONII BRVNELLI

In feſtum diem Sanctæ Mariæ ad Niues

ORATIO.

QVANTVS mihi patet campus, in quo mea haec excurrere atque exultare poſſit oratio, Praeſules ampliſſimi, atque optimi & ornatiſſimi Auditores, quam vberem atque immenſam dicendi vim affert hodiernus hic dies; tantus dicendi timor inijcitur, tamque me copia inopem facit; quum mihi ſit breuiſſimo temporis curriculo perorandum. Quis enim, qui ſummam videat aeſtuantium appetitionum molem, humanarum perturbationum flammam, ardentes cupiditatum faces, quas ſummo conatu funeſtiſſimi hoſtes in perniciem noſtram contorquent, debilitari, frangi, extingui, in ſummis aeſtiui temporis iniurijs, e caelo delapſis diuinitus niuibus; diuinam beneficentiam nō agnoſcat, diuina munera non ſuſpiciat, non quamlongiſſima & ornatiſſima oratione celebret, exornet, amplificet? Verumtamen detur haec mihi venia, vt paucis multa complectar, dum Deum Optimum Maximum precor, vt me, qui non aetate, non conſilio, non ſcientia valeo, ſancti ſpiritus afflatu paullulum excitatum, ita deſertum reddat, vt vel tacitus res admirandas queam animorum veſtrorum ſenſibus repraeſentare. Age vero quid Ioanni patritio delibe-

21
34

ranti, qua ratione tandem ſuis opibus Mariae Virgini gratificari poſſet, ad templum Virgini extruendum potuit commodius per viſum obijcere diuina illa prouidentia, quam Eſquilias niue conſpergendas? Quid enim eſſe candidius poteſt, quid purius, quid aſpectui gratius? At magna quidem res eſt, quae ex huius mirificae niuis indicio mihi ſane videatur exiſtere. Virginis illius profecto, Virginis, quae Deum hominem peperit, nulla vnquam ex parte violata; conſilio ac ſignificatione, integerrimi viri diuitiae fuerant erogandae. Templum illa ſibi, niue aeſtiuo calore praeter naturam coacta, humanis exaedificandum viribus indicauit. Ergo diuinus accedit nutus, afflat ſpiritus ille, qui cum patre & filio ab omni aeuo regnauit, in omne aeuum perpetuo regnaturus. Deligitur locus idoneus, & in altitudinem collis porrectus, vbi e templo, tamquam ex altiſſima ſpecula, te, Roma, Virgo, te, inquam, Roma, obſeruaret in primis orbis terrarum, vrbiumque reginā Dei mater ac caeli regina: te ferret in oculis aſſidue, te ſpectaret ſtudioſiſſime, volentem tamen, non recuſantem, non tergiuerſantem. Idem Liberio Optimo Maximoque Pontifici, quod Ioanni Patritio per quietem ſignificatur. O diuinam amoris amplitudinem, o immēſam diuinitatis facem, o caeleſte, & ante hoc tempus inauditum munus, quod e caelo delapſum, nouam in terris, & Romae ſedem caeli reginae deſcripſit. Virginem illam Dei parentem facultatibus ſuis colendam putat ampliſſimus ille vir, vir, inquam, ille animi excelſi, magnifici, religioſi. Colluſtratum ad templi aedificium locum, effuſa niue, ſibi depoſcit Virgo, atque Virgini templum prope niueum delegit Deus, qui niueo Virginis fuerat lacte altus & enutritus. Tu Virgo, tu eadem mater Chriſti, tu mater Dei & hominis: tu profecto humani generis ſolatium, pax, triumphus: tu ſumma ac ſapientiſſima rerum humanarum patrona, & fautrix, ſolum, quod templum tibi ſuſtineret, tuo praecipuo illo ſigno obſignatum eſſe voluiſti. Quid enim aliud declaret, quid indicet huiuſmodi ſignum, niſi integritatis pudicitiaeque virgineae ſimul, ac maternae

ſplen-

ſplendorem? Et ſane, quid illa purius? Et macula non eſt in te. quid foecundius? Et genuiſti puerpera Regem. quid beatius? Et peperiſti Deum & hominem. quid praeſtantius? At deliciae tuae eſſe cum filijs hominum. O ſignum de caelo amplissimum, praeter omnium expectationem, de repente in terras, atque in vrbem delatum: imo vero ad humanae beatitudinis ſpem ſublatum: erectum ad aeternitatis bona recuperanda. Contuemini, Auditores, animis veſtris, intendite cogitationes, reuocate mentes, cernite nitorem, quo locum illum ſpiritus diuinus conſperſit, condecorauit, ornauit. Traducamus in nos ſingillatim tantum, tam admirandum, tam illuſtre myſterium. Non me latet neminem eſſe veſtrum, quin ſe Mariae Virginis, atque adeo ipſius Dei, Virginis inſtar, quae Dei templum re ipſa facta eſt, effici voluerit, & exoptarit. At cui tamdem id facillime ex animi ſententia contigerit? Quicunque profecto ſe nouerit corpore animoque conſtare, ea tamen lege, vt per illuſtriores animi vires, ad Deum in ſublime ferri poſſit: verumtamen per corporis graue pondus deorſum ſe varie deijci ſentiat, ac deturbari: atque, dum vehementioribus perturbationum aeſtibus, primi ſibi parentis labe iniectis, miſere incenditur, candidae integritatis luce refrigeretur aeque, atque illuſtretur; ille tandem ex humana labe ac caeno in diuinum quoddam & niueum ſolum (qui fructus eſt integritatis vberrimus) mirifice tranſfertur. Ibi templum Deiparae, eiusque filio, rerumque omnium conditori Deo facillime extabit: ibi Deus ipſe matris ſuae templum clementiſſime aſpiciet, tuebitur, fouebit: ibi, inquam, templum extabit immenſum, pulcherrimum, auguſtiſſimum; vnde quidquid in terris, quidquid in caelis boni, quidquid iucundi, aeterni, diuini excogitari, fingique poſſit, aſpiciatur, planiſſimeque cernatur. inde enim facillime iucundiſſimus, ad ipſam diuinitatem, pro humanae conditionis viribus, contemplandam, patebit aſpectus. O templi ingentis amplitudinem, o immenſitatem, quae humanae mentis acie, non dicam comprehendi, ſed vix attingi poſſe videatur.

Fateor

Fateor equidem, Auditores, oneris me ſuccumbere magnitudini, ac tantarum rerum moli imparem eſſe; quippe qui verba deſiderem, quibus (id quod experientia ac res ipſa potius declarat, quam vel ſapientiſſimi cuiuſquam aureum eloquentiae flumen oſtendat) perſuadeam vobis, vt in animis veſtris Virgini matri templa auguſtiſſima erigatis. Sapienter vero egiſſe putauerim maiores noſtros, quum hodiernum diem ad nos praeſertim, qui ideo clerici dicimur, quod & nos Deum noſtram eſſe ſortem, & haeriditatem voluerimus, & nos ad ſe ſolum Deus voluerit pertinere; qui, vt ſacris initiemur, nomina dedimus, qui ad rerum humanarum contemptionem nobis capillum tonderi paſſi ſumus, ſpectare cenſuerunt. Quid enim aliud illos egiſſe arbitremur, niſi, vt, qui Dei templa futuri eſſemus, quae per auguſtiſſimum Euchariſtiae myſterium incoleret immortalis Deus; mentes noſtras Mariae Virgini, quaſi quaſdam praecelſas aedes, prauis animi perturbationibus mitigatis, pudore, temperantia, integritate, conſecraremus? Quod ſi viam ac rationem quamdam expeditam & facilem vobis aperiam, vt huiuſce noſtri voti iam compotes fiamus, peto a vobis, Auditores, vt in bonam partem accipere ne grauemini. Ac primum quidem etiam atque etiam cogitandum videtur, nos quoque colles eſſe interrea quoſdam, per Mariam Virginem niue conſperſos, vt omni animi labe diligentius expiata, in nobis ſint ampliſſima per virtutum aedificationem templa conſtruenda. Tum vero ne cõmittamus, vt aliae inanes atque fallaces cogitationes nos a ſuſcepto conſilio reuocent, ſed ab huiuſmoditempli aedificandi cura, ſtudio, labore ne recedamus. Id vnum ſit nobis cordi, vt aegritudinum aeſtum ardoremque nix illa temperet, refrigeret, mitiget. Etenim hac aetate, quae ad res leues & caducas facillime rapitur, ſaepenumero memoria tepetendum exiſtimo, quid profiteamur, quid agamus, quid etiam praeſtolemur. Nos in ſacris hiſce Apoſtolorum principis aedibus, omnium ampliſſimis ac celeberrimis Deo miniſtramus: nos ad ſtudia litterarum, nos ad pietatem denique vocat, al-

licit,

licit, inuitat Deus, ne recuſemus, ne abnuamus, ne laborem
ſubterfugiendum putemus. Aderit ille idem Deus laboran-
tibus nobis, nobis fauebit, nos tuebitur, ſubleuabit, comple-
ctetur. Poſtremo egregiarum exempla virtutum, quae nobis
affert vniuerſus hic Apoſtolorum principi illi ſanctiſſimo di-
catus, praeſtantiſſimorum virorum ordo, obſeruanda cenſeo
diligenter, & quamſtudioſiſſime imitanda. Actiones igitur
praeclaras tam illuſtrium hominum, quibus haec loca quoti-
die celebrari cernimus, ad noſtrarum incitamenta virtutum,
ſemper in mente nobis haereant infixa: quibus quantum cer-
te tum hoc ipſo, tum multis alijs nominibus debeamus, non fa
cile dixerim. Hic vero mihi, viri ornatiſſimi, pro veſtris in
me, & in caeteros clericos collatis beneficijs, agendae qui-
dem eſſe gratiae viderentur. Verum quum nemo ſit noſtrum,
qui tanta erga nos merita, non dicam verbis, ſed ne mente qui
dem concipere atque aſſequi poſſit; ſummis precibus a Deo
Optimo Maximo diebus ſingulis contendamus, oportet, vt vo
bis parem gratiam quamcumulatiſſime referat. Nos autem
(vt eo redeat, vnde diuertit, oratio) ſi Dei templa efficiamur,
non erit ſane periculum, ne, quod rebus humanis ſolet acci-
dere, ea temporis conficiat vetuſtas, ac tandem dilapſa, ac
deturbata iaceant, vel quocumque caſu profligentur: imo ve-
ro in omnem aeternitatem permanſura eſſe confidimus. nihil
enim, dum aeuo ſempiterno, Deo bene iuuante, perfruemur,
nobis officere, nihil nos vnquam percellere, nihil in nobis
quidpiam diminuere poterit, vel immutare. Quae quum ita
ſint, Auditores, quis non alacri animo elaboret? quis defa-
tigetur aedificando? O nos felices, & omni bonorum copia
cumulatos, ſi, quid tempus hoc aeſtiuum, quid nix illa, quid
huiuſmodi templum nobis innuat, perpetuo cogitauerimus.
Quamobrem, quum tam multa in nos Dei beneficia eſſe vn-
dique collata ſentiamus, pareamus tandem, maiore quotidie
contentione, diuinis humaniſque monitis, quaecumque no-
bis virtutum adeptionem aperiunt, amplectamur. Qui ad prae
clara

clara facinora nos imitatione ſui erudiunt, aequiſſimo eos animo conſectemur, inſiſtamus veſtigijs, ne aberremus. Angelorum chori, qui immortali Deo ſemper aſſiſtunt, diuinaeque voluntati ſe aggregant, dum ipſi quoque Angelorum officio fungimur, operamque ex animo rebus ſacris nauamus, aſſidue nobis ante oculos obuerſentur. Audiamus regium vatem, verbis illis nos cohortantem: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Indagemus honeſti rectique ſemitas: imitemur diuinum illum Samuelem, ab ipſa infantia templo addictum, & conſecratum; qui a Deo ad diuina oracula accerſitus, quos non ſuſcepit labores? quas moleſtias recuſauit? quod vmquam maiorum imperium detrectauit? Diuinum denique praeſidium ad haec omnia peragenda imploremus. Nihil erit profecto, cur animorum noſtrorum imbecillitatem, aut virium tenuitatem pertimeſcamus. En igitur nobis, Virgo praeſtantiſſima, cuius hodie diem feſtum atque ſolennem hilari caetu, atque ampliſſimorum hominum conſpectu agitamus, praeſto ſis: a tuis beneficijs, quibus a te ſumus adhuc ornati, noſtra culpa in poſterum ne arceamur. Te enim, Virgo, virginem, te matrem, ſumma demiſſione ſuppliciter compellamus vniuerſi. Tu illo, nos miſeros, in hac rerum caducarum colluuione, vario perturbationum aeſtu agitatos, illo, inquam, tuo placidiſſimo oculorum aſpectu digneris. Affulgeat iam nobis ſanctiſſimum, ac nitidiſſimum lumen: illuceſcat animorum noſtrorum tenebris, o puriſſima aeterni iuſtitiae ſolis Chriſti Ieſu aurora, lux tua. Tu cuncta in nobis prauitatis vitia euelle, funditus erue, radicitus extirpa. Tu denique opitulare, quo humus efficiamur tandem bene ſubacta, tuaque illa candidiſſima niue colluſtrata; vbi demum non vnum tibi tantum, ſed innumera prope templa, ad tui cultum ac memoriam, in perpetuum conſecrentur. Dixi.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


S. IVONIS PAUPERUM ADVOC
ET CURIALIUM PROTECTORI
Illmo & R
Domino
DIONYSIO
PIERAGOSTINI
Episcopo Septempedano
ac in propria Ecclesia
Ejusdem S.ae Confraternitatis
Institutori Religiosissimo